



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

43. An Piratæ, seu Cursarij non solum discurrentes per mare Pontificium,
sed alia maria incidant in censuram Bullæ Cœnæ? Et an Piratæ in dictam
censuram incurrant discurrentes per mare Pontificium, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

frumenti non contineatur farina, ex quo frumenti potentia per mutationem in farinam adeo victa sit, quod ad suas vires, suaeque initia amplius reverti non possit, leg. Julianus, §. si quis ff. ad exhiben. l. quæstum, §. illud ff. de legat. 3. ubi ita determinat Dinus, quem sequitur Albertus Gaudinus in tr. maleficior. in rubr. de reb. non portant. contra de vell. quæstione 4. versic. Item pone. dicens, ita fuisse iudicatum Paduæ. Quodque statutum pœnale, & odiosum, extendendum non sit, regul. odia, & regular. in penis, de regular. iur. in 6. Nam licet ex proprietate vocabuli, appellatione frumenti non contineatur farina, & si legatum sit frumentum, non censetur legata farina, secundum Baldum in leg. 1. collect. 3. Cod. de fructibus, & iur. expens. & Bartolus post glossam in dict. §. illud, ex mente tamen statuentium, extenditur ad farinam: quæ mens non minus observanda est, quam verba, leg. nominis, & rei, §. verbum ex legibus, Digest. de verb. signific. Unde ex his omnibus Ego puto, extrahentes farinam de Statu Ecclesiastico in pœnas latas ab Urbano VIII. incidere. Et hanc sententiam tenent Filliucius, & Castrus Palaus, ubi supra, & rectè non negat contrariam sententiam esse probabilem, nempe non venire farinam sub frumento prohibitam, quod docet Baldus in leg. 1. Cod. de fructibus, & iur. expens. & leg. non dubito Cod. de legibus, Albeficus, & alij quos citat Azorius ubi supra. Ergo sub prohibitione extrahendi frumentum, farina comprehendendi non debet. Non enim lex pœnalis, & odiosa extendenda est ultra verborum proprietatem.

5. Et tandem quartò quæro, An sub nomine Olei, cuius extractio ab Urbano in hanc Bullam prohibetur, comprehendantur oleæ, ex quibus ipsum conficitur? Et ad hanc quæstionem sic respondet Filliucius, ubi supra, tom. 1. tractat. 15. capit. 6. num. 158. Dubium est de oleo; an prohibito oleo, etiam prohibita sit extractio olearum? Et respondendum videtur pro parte affirmativa: quia sub nomine olei, quod fit ex oleis, proxime continentur etiam oleæ. Paria autem sunt aliquid proprio nomine significare, vel aliter demonstrare, leg. certum Digest. si cert. per. Item paritas rationis inducit paritatem dispositionis, leg. Titio, Digest. de stipul. leg. illud, Digest. ad leg. Aquil. Par autem ratio videtur esse olei & olearum, ex quibus proxime fit oleum: sunt tamen ex viris doctis, qui distinguunt. Si enim oleæ extrahantur ad oleum faciendum ex eis, haud dubium est intelligi prohibitas sub oleo. Si verò extrahantur ad comedendum eas, vel sale condiendum, ut postea ita comedantur, sic non intelligi prohibitas; tum quia hæc non sunt proxima materia olei, sed remota, utpotè acerbæ, nonnisi post aliquot menses aptæ ad exprimendum oleum; tum quia hæc solent esse in exiguo numero, nec afferre propterea caritatem annonæ. Atque hæc sententia probabilis est, quia benignius interpretatur legem pœnalem, alioqui in rigore dicendum esset cum primo. Hucusque Filliucius.

6. Ego verò cum Castro Palao tom. 6. disputat. 3. punct. 30. num. 23. puto sub hac censura, & prohibitione Urbani VIII. non comprehendì olearum extractionem, sive maturæ sint, sive acerbæ, sive ad comedendum, sive ad faciendum oleum extrahantur. Ducor, quia oleæ ab oleo specie differunt. Ergo prohibita olei extractio, non est censenda prohibita olearum extractio, quia constitutio pœnalis ultra proprietatem verborum extendenda non est. Præterquam quòd in olearum extractione non procedit eadem ratio, ac in extractione olei. Quippe oleæ difficile in magna quantitate

extrahi possunt, & frequenter ad comedendum extrahuntur, raroque ad conficiendum oleum. Concedo tamen sententiam affirmativam Filliucij esse satis probabilem.

RESOL. XLII.

An in casu dubij possint Principes sine incurfione censurarum Bulla Censæ impedire, ne victualia extrahantur ab eorum Regnis ad Romanam Curiam?

Et notatur, quòd in foro externo si impedimentum præstat a persona publica præsumitur iusto titulo oppositum esse, secus a persona privata. Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 17.

§. 1. **N**egativè respondet noster Duardus in Bulla Censæ, lib. 2. can. 8. §. 10. n. 11. ubi sic ait: *Ad hanc Provinciam, aut Regni consensu, prohibendo ab illis victualia, & his similia à supradictis ejusdem loci extrahi; quamvis ex tali prohibitione sequatur, quòd a Romanam Curiam deferri non possint, nihilominus vi nostri Canonis non alligatur: quia hoc casu incidenter tantum prohibetur dictorum bonorum delatio ad Romanam Curiam: eò quòd per se primò utilitati Provinciarum, seu Regni, & eorum civitatibus consultatur, ut cum Cajetano, Navar. Vival. & aliis docet hic Sayr. lib. 3. Theol. cap. 12. n. 3. tom. 1. Benè verum est, quòd jus, quo dicto casu Princeps utitur, debet esse clarum, saltem practice, nam, si quis in casu dubij vellet dispositioni dicti Canonis contraire, non excusaretur. Ita ille.*

2. Sed hanc opinionem impugnatur Castrus Palaus tom. 6. disp. 3. punct. 9. n. 6. nam cetero à lege certa nequeas eximere ob causam dubiam, id verum est, cum pro lege est possessio: at stante possessione pro parte impediens, non videtur impediens ob causam dubiam se à lege eximere, sed ob causam certam. Præterquam quòd, stante dubio, an possit Princeps impedimentum victualibus deferendis præstare, æquum non est, quòd per legem ea potestate, erit dubia, spoliatur. Sicut non est æquum, quòd ad jejunandum obligetur, qui dubius est, an 21. annum compleverit; quia stante dubio, stat pro ejus libertate possessio. Sed sententiam Duardi docet etiam Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. n. 64. Filliuc. tom. 1. tr. 16. c. 7. n. 156. & alij.

3. Notandum est tamen, quòd in foro externo, si impedimentum præstat a persona publica, præsumitur iusto titulo oppositum esse, secus a persona privata, ut rectè notat Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 9. punct. 3. n. 2.

RESOL. XLIII.

An Pirata, seu Cursary non solum discurreres per mare Pontificium, sed aliam mariam, incidant in censuram Bullæ Censæ?

Et an Pirata in dictam censuram incurrant discurreres per mare Pontificium, si nullam depredationem actam exercent?

Et quid, si cum intentione depredandi discurrant, si nullam depredationem actionem exercent?

Et quid tandem dicendum est, si casu tantum navigantem depredantur?

Et an depredantes infidelium naves à Christianis occupatas incidant in censuram Bullæ Censæ? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 73.

§. 1. **C**asus est practicable in his calamitosis temporibus. Et quidem Grassius lib. 4. decis. c. 18. num. 53.

nam. 53. exponens Bullam Xysti V. & Suarez, de cens. disp. 21. sect. 2. n. 18. exponens Bullam Clementis VIII. asserunt, non solum excommunicari discurrerentes mare Ecclesie; sed omnes Piratas deprædantes in mari Christianorum, & in hoc sensu explicat Graffius illam particulam, *Mare nostrum*, id est, Christianorum.

2. Mihi verò magis placet opinio asserens, solos latrones maritimos qui discurrant mare Ecclesie, præsertim à monte Argentario, vltque ad Tarracinam hoc loco excommunicari. Imò etiam puto, quòd mare pontificium censendum videtur, quòd ad Pontificem pertinet, etiam mediate ratione feudi, sicuti pertinet mare Tyrrenum, quòd Regnum Neapolitanum, Corsicam, Siciliam, & Sardiniam attingit, vti notavit, alijs relatis, Bonac. tom. 3. de cens. disp. 1. q. 4. punct. 2. num. 4. E contra verò discurrerentes per mare sub alterius dominio constitutum, ibique deprædantes, etsi veri Piratæ sint, in hanc tamen excommunicationem non incidunt: quia non comprehenduntur sub verbis Bullæ, ibi, *mare nostrum discurrerentes*. Quod etiam docet Castrum Palaus, tom. 5. disp. 3. q. 4. n. 3. Et ratio est: quia pœnæ sunt favorabiliter interpretanda: cum ergo lex ista pœnalis sit, intelligenda erit in verborum significatione, quæ accommodatur, & magis propria fuerit, qualis est explicare particulam, *mare nostrum*, in censura Pontificis, de mari Ecclesie; hoc enim proprius dicitur mare Pontificis, quàm ipsiusmet in propria persona loquentis, mare Christianorum dicatur.

3. Sed ex his oritur alia quæstio an Piratæ in dictam censuram incurrant discurrerentes per mare pontificium, si nullam deprædationem actu exerceant? Et affirmativè respondent Duardus, Toletus, Reginaldus, Bonacina, & sub dubio Suarez, de cens. disp. 21. sect. 2. n. 19. Quia actio sub excommunicatione in his Bullis prohibita, est maritimus discursus animo deprædandi: aliàs si deprædatio, mutilatio, vel occisio necessaria foret, vti in Bullis Iulij II. & Gregorij XIII. expressum erat; vt quid à tempore Clementis VIII. hæc actiones à Bullis expunctæ sunt: Hæc sententia est satis probabilis.

4. Sed negativam sententiam probabilem etiam esse existimo; & vt verum fatear, ei magis adhæreo cum Soula in Bulla Cane, c. 4. disp. 26. num. 2. qui citat Vivaldum, & Sayrum, cui adde Castrum Palaum, vbi supra, n. 5. Et probatur: Latrones maritimi non excommunicantur absolute, sed in ordine ad deprædationem: ergo si nullam exerceant deprædandi actionem, excommunicationis gladio non feriuntur. Patet consequentia, Probatur antecedens: Quia latrones non dicuntur, nisi à latrocinio; vnde, qui nullam actionem latrocinij exercent, latrones dicendi non sunt, saltem in actu, & foro externo: ergo quandoque latrones absolute excommunicantur, intelligendi sunt exercentes latrocinij actiones: verba enim cum effectu accipi debent, vt habetur l. 1. §. Hec autem verba, ff. quod quisque Inris. Ex hoc sequitur, si latrones maritimi mare Pontificis discurrant, etià cum intentione deprædandi, si nullam deprædandi actionem exercent, non excommunicari: sola enim intentio ad censuram incurrendam non sufficit, nec omnis discursus prohibetur. Dixi, si nullam actionem deprædandi exerceant: quia non opus est, quòd de facto deprædatio sequatur: satis enim est, quòd deprædari nintantur occidendo, mutilando, invadendo, aut infecundo. Itaque dicendum est, quòd Piratæ, & latrones, non ab intentione deprædandi, sed à deprædatione ex officio, & proposito facta, denominationem recipiant, teste Ambrosio Calepino, verbo, *Pirata*, & seqq. Quapropter verba illa Bullæ, *mare nostrum discurrerentes*, appositæ censenda sunt ad præcedentia; ita

Tom. V.

vt sensus sit: *Excommunicamus omnes Piratas, Curfarios, & Latrunculos discurrerentes mare nostrum*, id est, qui mare nostrum discurrunt. Vnde, cum Piratæ, Curfarij, & Latrunculi non sint ante deprædationem; hac excommunicatione adversus Pyratas lata, non afficiuntur, tametsi eo animo discurrant. Quòd verò Pontifices prædictas actiones mutilationis, occisionis, deprædationis in alijs antiquioribus expressas omiserint; id videtur factum, quia ea expressio necessaria non erat; siquidem expressio nomine *Pirata*, satis subintelligebantur.

5. Nota hic etiam primò, quod qui ex officio nauticum latrocinium non exerceat, casu tamen semel navigantem deprædatur; Censuram Canonis huius non incurrit. Secundò: qui indicto bello; sive iusto, sive iniusto hostes deprædantur, in hanc excommunicationem non incurrunt: quia non animo deprædandi, sed vindicandi, & puniendi hostes; seque ab illis defendendi, deprædationem committunt. Tertiò: qui deprædantur infideles, sive iuste, sive iniuste id faciant, per hanc clausulam non excommunicantur. Sed ex hoc vltimo notando insurgit difficultas: an deprædantes infidelium navim à Christianis assecuratam; incident in censuram Bullæ? Affirmativè responder Bonacina, tom. 3. disp. 1. q. 4. punct. 1. n. 13. quia censendi sunt Christianos spoliare, penes quos stat periculum rei assecurate. Idem affirmat num. 11. casu, quo à Principe Christiano securitatis privilegium concessum esset: quia cedit ea deprædatio in damnum, & injuriam Christiani Principis, sitque contra voluntatem & intentionem Summi Pontificis. At ego adhæreo sententiæ negativæ Castri Palai, tom. 6. disp. 3. num. 7. quia huiusmodi damnum per accidens est, neque ex vi deprædationis infidelium necessario sequitur, qua de causa non videtur sufficiens ad excommunicationem hanc inducendam: maxime, cum hæc excommunicatio non adversus damnum infidentes Christianis: sed adversus eos, qui Christianos deprædantur, statuta sit: at deprædantes navim, & merces infidelium, tametsi assecurate sint à Catholicis, dici non possunt Catholicos deprædari; cum non deprædentur bona Catholicorum, neque ad Catholicos pertinentia. Ergo in hanc excommunicationem non incurrunt.

Sup. hoc id
ref. seq. §.
Nota etiam
ad lin. 5.

RESOL. XLIV.

An qui per donationem, vel furtum accipit bona naufragantium ab alio accepta, incidat in censuram Bullæ Cane?

Et an, qui auxilium, consilium, mandatum, aut favorem præstent, vel ratum habent, vt bona naufragantium subripiantur, vel bona subrepta custodiant, incidant in censuram dicti Canonis?

Et an, si Christiani Piratæ naufragium faciunt, excommunicentur eorum bona subripietes?

Et notatur, quod qui subripit bona Christianorum, quæ in navibus Infidelium cum assecuratione illa reddendi certo loco, quomodocumque pereant, asportantur, non excommunicantur; si verò Christiani eadem obligatione Infidelium bona deferant, excommunicantur illa subripietes.

Et aliqua alia notantur, quæ contingere possunt in supradictis naufragiis circa supradicta, & circa alios diversos casus, & naufragia. Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 36.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Suarez, de cens. disp. 2. sect. 2. n. 3. vbi sic ait: [Potest contingere, vt quis recipiat talia bona sine villo antecedente pacto;

C 3

sed